

## TITULUS XXIV.

## De Jurejurando.

1. *Ratio continuationis rubricarum* — Quia in defectum aliarum probationum sæpe sæpius recurritur ad juramentum; non immerito nunc agitur de jurejurando: nam maximum remedium expediendarum litium est juramentum, l. I. ff. *Jurejurand.* ut amplius patebit ex dicendis. Agitur autem in præsententi titulo non tantum de juramento judiciali, quod est species quædam probationis, sed etiam de aliis juramentum concernentibus: quarum tamen plura, præsertim forum conscientie respicientia, commodius ad theologiam moralem remittuntur.

## § I.

DE NATURA, ET DIVISIONE JURAMENTI;  
ET QUALITER SIT LICITUM?

2. *Jurare, quid? Juramenti nomine, quid intelligatur? Apellatur etiam jusjurandum et sacramentum. Et cur?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit juramentum? Resp. I. Jurare, est aliquid teste Deo dicere. Juramentum vero est vox jurantis, seu actus ille, quo juratur teste Deo. Ita Glossa in *Summa*, caus. 22. q. 1. Abbas ad rubric. h. t., n. 1. et alii. Igitur *Juramenti* nomine in proposito intelligitur actus religionis, quo quis Deum in testem adhibet ad confirmationem eorum, quæ affirmat, vel promittit: eaque ratione profitetur divinam veritatem esse indefectibilem. Atque istud in rubrica præsentis tituli appellatur « Jusjurandum, id est, jus quod est jurandum: » quia videlicet juramentum est jure faciendum, concurrentibus tribus ejus comitibus, veritate, judicio et justitia; prout requiritur *Jerem.* iv, 2. ac infra n. 24. amplius declarabitur. Dicitur etiam in jure non raro « sacramentum, » quasi per « sacra astringamentum, » uti explicat Abbas loc. cit. eo quod juramentum fiat per res sacras, nempe invocando Deum in testem, vel etiam tangendo sanctum Evangelium, aut alias res sacras: vel appellatus « sacramentum » large, quasi « rei sacre signum, » prout notat idem Abbas cap. II. not. 2. de *Probation.*

3. *Juramentum, quid? Ejus finis immediatus, est confirmatio rei dubie.* — Resp. II. Juramentum recte definitur, dicendo: « Juramentum » est invocatio divini nominis in testimonium alicujus rei. Ita divus Augustinus de *Serm. Dom. in monte.* cap. xvii. Quæ definitio in re non differt ab ea, quam tradit Hostiensis in *Summa*. h. t., § 1. n. 1. et Abbas ad rubric. h. t., n. 1, dicendo: Juramentum est assertio, vel negatio de aliquo honesto, licito, et possibili, sacre rei attestatione firma. Ratio est, quia finis immediatus usus juramenti, est confirmatio rei dubie, seu controversæ per obstestationem alicujus majoris, nempe Dei; juxta illud *Hebr.* vi, 13. *Homines enim per majorem sui jurant: et omnis controversie eorum finis, ad confirmationem, et juramentum.*

4. *Dividitur varie præcipue in assertorium et promissorium.* — Resp. III. Juramentum varie dividitur: prout notat Glossa ad rubric. ff. de *Jurejurand.* Inter alias tamen ejus divisiones præcipua est illa, qua juramentum dividitur in assertorium, et promissorium. Ita Scotus in 3. dist. 39. quæst. un. Hostiensis in *Summa*. h. t., n. 3; Pirhing eod., n. 42, et alii. Ratio est, quia aut juramentum fit ad fidem veritatis narratæ astruendam illi qui audit: aut fit ad promissionem firmandam, qua alteri vel sponte vel ejus impulsu quidpiam promittimus. Atqui prius juramentum est assertorium, posterius promissorium; ergo. Itaque:

5. *Juramentum assertorium et promissorium, quid?* — « Juramentum assertorium » est, quo simpliciter sine aliqua promissione per obstestationem Dei aliquid affirmamus, vel negamus. « Juramentum promissorium » vero dicitur, quod ad confirmationem promissionis, seu contractus, aut pacti alicujus corroboracionem adjicitur.

6. *Ad juramentum promissorium duplex requiritur veritas.* — Atque ad hoc juramentum promissorium duplex requiritur veritas: una intentionis, seu veritas dicti, qua jurans verum existimat esse id, de quo jurat. Et altera executionis, seu veritas facti, qua quis in animo habet servare illud, quod promittit, suoque tempore servat. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 7; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. iv. n. 2; Engel h. t., n. 6, atque egomet ipse jam dixi in *Theolog. moral.* tract. VI dist. 2, n. 4; et n. 17 ac seqq. plura de obligatione juramenti promissorii subjungendo.

7. *Utrumque varie subdividitur.* — Resp. IV. Juramentum tum assertorium, tum promissorium, ulterius dividitur in simplex, et solemne: item in juramentum per simplicem Dei contestationem, et per execrationem: et in juramentum extrajudiciale, et judiciale. Ita communis; ac probatur inductione, seu declarando terminos. Siquidem:

8. *Juramentum simplex et solemne, quid?* — « Juramentum simplex » dicitur omne illud, quod solemne non est. « Juramentum solemne » vero, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei, v. g. sancti Evangelii attactum, perficitur coram legitimo superiore, ut majorem auctoritatem, æstimationemque habeat: quale potissimum solet fieri in judiciis, in professione fidei, in homagiis, ac juramento fidelitatis, et hujusmodi.

9. *Juramentum per execrationem et per simplicem Dei contestationem.* — « Juramentum per execrationem (quod speciali nomine juramentum execratorium » appellatur) est illud, quo jurans sibi ipsi, vel alicui alteri sibi caro, mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit aut promittit. « Juramentum per simplicem Dei contestationem » econtra censetur omne illud, quod fit absque tali execratione.

10. *Juramentum extrajudiciale et judiciale, quid?* — « Juramentum extrajudiciale » dicitur, quod fit extra judicium. « Juramentum judiciale » vero, quod præstat in judicio. Atque istud rursus varie subdividitur, prout illico amplius dicetur: quamvis quodlibet horum commode reduci valeat ad juramentum assertorium, vel promissorium, veluti præcipuam divisionem juramenti ut sic. Proinde.

11. *Juramentum judiciale varie dividitur.* — Quæritur II. Qua ratione dividatur juramentum judiciale. Resp. I. Juramentum judiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in juramentum calumnie, juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis; et patet ex dictis supra tit. VII. De *Juramento calumnie.* § 1. n. 2. 6. et 9. ubi de isto triplici juramento ex professo agitur. Siquidem:

12. *Juramentum calumnie, quid?* — « Juramentum calumnie » dicitur, quod præstat tam ab actore, quam reo, ab initio post litem contestatam super tota causa: quo videlicet jurant, se bona fide, et sine animo calumniandi agere, et respondere velle; id est, quo jurant se credere, quod bonam ac

justam causam litigandi habeant, quodque interrogati velint veritatem dicere, nolintque ullam dilationem non necessariam petere, et hujusmodi, de quibus Glossa cap. I. de *Jurament. calumn.* §. *Calumnie juramentum.*

13. *Juramentum malitiæ, quid?* — « Juramentum malitiæ, » de quo Æt sermo cap. II. de *Jurament. calumn.* in 6. vocatur illud, quod non super tota causa, sed super singularibus quibusdam articulis, sive ante, sive post litem contestatam præstandum venit, quoties articulus ille videtur judici de malitia suspectus: sive quoties præsumptio est contra aliquem, quod quid malitiose proponat. Unde patet hujus juramenti differentia a juramento calumnie: nam, ut taceantur aliæ differentie, de quibus jam dictum supra cit. tit. VII. n. 8. Juramentum calumnie (nisi tacite remittatur) est præstandum circa initium post litem contestatam, simulque super tota causa: secus est in juramento malitiæ; quamvis tam hoc, quam illud, soleat esse juramentum de credulitate.

14. *Juramentum de veritate dicenda, quid?* — « Juramentum de veritate dicenda » illud appellatur, quod fit super scientia, seu veritate, quam quis scit, dicenda. Unde juramentum hoc, stricte loquendo, cadit super scientiam, et non mere super credulitatem nostram; prout cit. tit. VII. n. 9. et seqq. uberius declaratur.

15. *Juramentum decisorium litis, quid, et quotuplex?* — Resp. II. Juramentum judiciale, prout respicit decisionem causarum, dividitur in juramentum decisorium litis, et in juramentum in litem: quorum utrumque rursus subdividitur. Ita communis: et patet inductione. Siquidem « Juramentum decisorium litis » dicitur illud, per quod deciditur lis principalis. Atque istud subdividitur in voluntarium, judiciale (intellige, de juramento judiciali specificè sumpto) et necessarium, prout amplius declarabitur infra, § 5. n. 132. et seqq.

16. *Juramentum in litem, quid? Juramentum istud est æstimatorium.* — « Juramentum in litem » econtra dicitur, per quod deciditur æstimatio rei. Unde juramentum istud est æstimatorium, prout notat Jason ad rubric. tit. ff. de *in litem jurando.* n. 1. ubi de hoc juramento habetur integer titulus, *De in litem jurando*, inscriptus. Tale juramentum in litem est illud, quod probata violentia sibi illata, solet damnum passis judex deferre super rebus amissis, earumque valore; prout ha-



betur cap. ult. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* et l. *Si quando, c. Unde vi.* Quo utroque in loco statutum, ut si quis legitime probaverit, violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat, eo quod difficile sit probare, singula utensilia, et alia minuta ab hoc sibi ablata fuisse: tunc iudex inspecta personarum, et negotii qualitate, debeat damnum illatum taxare, et postea damnatum passo juramentum super rebus amissis, earumque valore deferre, quod videlicet tantum et non minus sibi ablatum fuerit; stabiturque ejus juramento usque ad quantitatem taxatam: prout etiam lib. I. tit. XL. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* n. 13. ac seqq. jam dictum fuit. Et hujusmodi juramentum appellatur « Juramentum in litem. »

17. *Estque triplex. Juramentum in litem de veritate, quid?* — Porro juramentum in litem est triplex, prout observat Jason loc. cit. n. 2. et Pirhing h. t. n. 18. Primum dicitur « Juramentum in litem de veritate: » seu quod deferretur spoliato, aut damnatum passo super vera æstimatione, seu valore rei per vim, aut dolum alterius amissæ; ut cit. l. *Si quando, c. Unde vi.* et cap. ult. *De iis quæ vi metusve causa, etc.* estque proxime dictum.

18. *Juramentum in litem de affectione, quid?* — Secundum appellatur « Juramentum in litem de affectione: » seu ubi damnatum passo vi, aut dolo alterius, permittitur jurare non tantum de vero pretio rei sibi dolo ablata, vel destructæ; sed etiam quantum res illa valebat juxta suam affectionem. Exemplum sit: Tu mihi dolo abstulisti, aut destruxisti librum valentem decem, sed quia hic mihi percharus fuit ob annotationes magno labore meo in ipso factas, ipsum non dedissem pro viginti, tunc iudex in odium dolosi, aut contumaciter restituere recusantis, pœnia sua taxatione, ut supra (ne alias in immensum jurare liceat) potest mihi injuste spoliato deferre juramentum, quo juxta privatam etiam meam affectionem, atque utilitatem, possim librum illum æstimare, et jurare, quod ipsum non dedissem pro 20. l. *Videamus, § Deferre,* juncta Glossa *¶. Ex magna causa.* ff. *De in litem jurando.*

19. *Juramentum in litem de interesse, quid?* — Tertium dicitur « Juramentum in litem de interesse: » seu quod præstatur ratione interesse singularis extra rem. Exemplum sit: Deposui penes te pecuniam, quam post lapsum temporis, aut sententiam judicis debuisses

mihi restituere; sed quia ipsam dolose non restituisti, passus sum grave damnum, v. g. perdidisti pignora mea sub usuris, aut crescente interim pretio frumenti gravem læsionem incurri: isto casu debet iudex propter dolum, seu contumaciam non solventis, deferre mihi juramentum in litem; non quidem de veritate, quia constat de quantitate pecuniæ apud te depositæ, neque de affectione, quia in nummis non cadit singularis affectio. l. *Nummis.* ff. *De in litem jurand.* sed de meo interesse singulari extra rem; hoc est, ut ego jurem in litem secundum æstimationem damni, quod passus sum per hoc, quod pecuniam debito tempore dolose non restituisti, cit. l. *Nummis.* § *Nisi forte.* et Jason, ubi supra, n. 4.

20. *Juramentum in litem deferretur solum ratione doli, non ratione culpæ. Culpæ, et doli, apud jurisperitos, quid? Culpæ lata æquiparatur dolo.* — Additur tamen « dolose, » etc. Quia juramentum in litem, quo creditur actori quantum in litem juraverit, deferretur solum ratione doli (puta, quia reus vi abstulit, aut contumax est in restituendo, vel hujusmodi) non item ratione culpæ, l. II. et l. *In actionibus.* ff. *De in rem jurand.* Nam culpa apud jurisperitos idem est, ac omissio alicujus diligentia, unde sequitur quodpiam damnum proximo: et hæc postea subdividitur in latam, levem, et levissimam. Dolus autem dicitur omnis calliditas, fallacia, et machinatio, ad circumveniendum, fallendum, et decipiendum alterum adhibita, l. I. ff. *De Dolo malo.* Quamquam culpa lata, seu quæ est omissio ejus diligentia et circumspectionis, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent, in jure dolo æquiparetur, l. I. ff. *Si mentor falsum,* etc. etsi proprie dolus non sit.

21. *Juramentum judiciale aliud est testium, aliud judicis, advocatorum, tutoris, etc.* — Resp. III. Juramentum judiciale sub diversis aliis respectibus adhuc varie dividitur. Ita Glossa ad rubric. ff. *De Jurejurand.* et patet inductione. Nam aliud est juramentum testium; et hoc est de veritate dicenda, l. *Jurejurando. c. de Testib.* et alibi. Aliud est juramentum judicis, et advocatorum, de rite præstando officio suo. l. *Rem non novam. c. de Judicis.* Aliud est juramentum tutoris, qui est creditor, vel debitor pupilli, Auth. *Ut ii, qui obligatas,* et c. collat. 6. Aliud purgationis canonice, c. *Quoties de Purgation. canon.* Tacentur alia hujusmodi juramenta, utpote

quæ superfluum foret hoc loco recensere.

22. *Juramentum an sit licitum, præsertim sacerdotibus, ac religiosis? Juramentum debite factum est licitum, et actus religionis.* — Quæritur III. An juramentum sit licitum, præsertim sacerdotibus, ac religiosis? Resp. I. Juramentum debite factum, a. ex se malum non est, sed potius actus virtutis religionis. Ita divus Thomas 2. quæst. 89. art. 4. asserens, juramentum esse actum religionis, sive latræ; et communis tum theologorum, tum canonistarum. Idque patet ex illo *Deuteronom. vi. 13.* ubi præcipitur: *Domini Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis.* Et *Psal. lxxii. 12.* *Laudabuntur omnes qui jurant in eo, cum similibus.* Accedit ratio, quia hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profitetur Deum esse potiorum, utpote cujus veritas est indefectibilis; sicque Deo ut veracissimo exhibet quamdam reverentiam: atqui exhibere Deo reverentiam, est actus religionis, seu latræ; ergo.

23. *Non tamen est de genere eorum, quæ per se bona sunt, et frequentanda. Consuetudo incaute jurandi, est periculosa.* — Additur notanter. « juramentum debite factum. » Quia juramentum non est de genere eorum, quæ per se bona sunt, ut frequentanda; uti est oratio, eleemosyna, et hujusmodi: sed quæ bona sunt duntaxat supposita vera necessitate, sed causa rationabili; prout explicat divus Augustinus lib. I. *de Verbis Domini in monte.* Unde consuetudo incaute jurandi multum est periculosa, graviter perstringitur in sacra Scriptura: ut *Ecclesiastici xxxiii. 9.* *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Et iterum ibidem, 12: *Vir multum jurans, implebitur iniquitate,* cum similibus. Itaque:

24. *Ad juramentum, ut sit licitum, tres requiruntur comites, nempe veritas, judicium et justitia; idque declaratur.* — Resp. II. Ad juramentum, ut sit licitum, et opus bonum, actusque religionis, tres requiruntur conditiones, tanquam comites ipsius, nempe veritas, judicium, et justitia; juxta illud *Jerem. iv. 2.* *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, et justitia.* Et quidem Veritas in eo consistit, ut veracissimi numinis testimonium non adducatur in attestationem falsi, seu mendacii: alioquin foret perjurium, et gravissimum peccatum mortale. Justitia consistit in hoc, quod æquissimi numinis testimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ, et peccato obnoxie. Judicium vero, seu ju-

dicii discretio consistit in eo, ut cum prudenti intellectus consideratione, ac pia et reverenti voluntatis affectione, non sine necessitate, aut magna utilitate juretur: prout jam dixi in *Theolog. moral.* cit. tract. VI. dist. 2. quæst. 2, n. 12, ac seqq. ubi plura huc attentia videri possunt.

25. *His concurrentibus licite juratur, etiam per sacerdotes, ac religiosos.* — Resp. III. Ex causa necessitatis, seu concurrentibus hisce tribus juramenti comitibus, licite etiam per sacerdotes, et religiosos juratur. Ita communis omnium: atque habetur expresse decisum c. *Etsi Christus.* 26, h. t. ubi etiam pontifex solvit contraria, ob quæ nonnulli religiosi, veluti vitæ perfectioris æmulatores, timuerunt deponere juramentum judiciale in causis suæ Ecclesiæ. Accedit ratio, quia, ut proxime dictum est, juramentum debite factum, seu quod habet tres comites suos, nempe veritatem, judicium et justitiam, est licitum, et actus religionis, atque in sacra Scriptura commendatur, ergo non est ratio, cur clericis, atque religiosis censeatur esse illicitum. Quinimo non esse credendum testi, etiam religioso, qui sine juramento deponit, habetur c. *Nuper nobis.* 31. *de Testib.* Similiter clerici in causa Ecclesiæ suæ, imo et in propriis suis causis præstant juramentum calumniæ; ut cap. 1. et c. *Cæterum, de Jurament. calumn.* Sicut et episcopus, si per se ipsum eligit litigare, idem juramentum præstare debet, sed propositis tantum, non vero tactis Evangelii, cap. ult. § 1. eod.

26. *Sine justa causa jurare etiam verum, ad minus est peccatum veniale.* — Additur notanter in conclusione, « ex causa necessitatis. » etc. Nam hac cessante, sed sine justa causa jurare etiam verum, ad minus est peccatum veniale: quia non caret irreverentia quadam, Deum imprudenter adducere in testimonium rei, licet cæteroquin veræ; pugnatque istud contra alteram conditionem ad juramentum requisitam, quæ est judicium.

27. *Sacerdotes in levi causa non sunt compellendi ad jurandum. Possunt tamen jurare in casu necessitatis, sicut et religiosi.* — Unde et sacerdotes in levi causa non sunt ad jurandum compellendi per judicem; sed « vice juramenti, per sanctam consecrationem interogentur: quia sacerdotes (idemque dicendum de regularibus, utpote specialius ad perfectionem evangelicam aspirantibus) ex levi causa jurare non debent; » prout loquitur textus in can. *Si quis presbyter.* 2. quæst. 5.



allegato illo Salvatoris *Matth. v. 34. Nolite omnino jurare, Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non.* Verumtamen in casu necessitatis, seu magnæ utilitatis (ut puta, ad sui purgationem, vel probandam alterius innocentiam, aut tuenda sua, vel Ecclesiæ suæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi possent, ac hujusmodi) bene possunt jurare etiam sacerdotes, ac religiosi.

28. *Christus, Matth., v. 34, prohibuit jurare per creaturas. Si tamen juretur per creaturas, servandum est juramentum.* — Dices: *Christus Dominus Matth. v. 34 et seqq. dixit nobis, Non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, etc. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: quod autem his abundantius est. a malo est:* ergo nunquam licitum est jurare. Resp. negand. consequent. Quia, ut optime declarat pontifex cit. c. *Etsi Christus*, h. t. prædictis verbis *Christus Dominus non prohibuit juramentum per Creatorem (nam et angelus legitur jurasse per viventem in sæcula sæculorum, Apocal. x. 6. et Apostolus quoque jurabat per Deum, cum Rom. i. 9. diceret: Testis est mihi Deus:)* sed quia juramentum est actus religionis, et patriæ, ut dictum n. 22. prohibuit jurare per creaturas, puta, per cælum, per terram, ac hujusmodi: «Ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris:» prout loquitur textus, et amplius probat Glossa ibid. §. *Creaturam*. Quamvis autem (subdit pontifex) non sit jurandum per creaturam, si tamen juretur per creaturam, servandum est juramentum, dummodo sit licitum, quod juratur: quia teste veritate, qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super illum.

29. *Explicatur dictum Salvatoris, Matth., v. 35. — Nec obstat illud, quod Salvator, ubi supra. subjunxit: Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non, etc.* Nam contra est: quia ipsemet *Christus Dominus legitur in Evangelio plus dixisse, quam ista verba, dum Lucæ, iv. 24 et 25. post illa verba, Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua, illico subjunxit: In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Helix in Israel, etc.* Unde patet illis verbis non prohiberi juramentum absolute, ac veluti per se malum, cum sit confirmatio veritatis; et si debite fiat, videlicet in veritate, judicio atque justitia, a Deo sit commendatum, *Jerem. iv. 2. et alibi. Quamvis prohibeatur frequens, et*

incauta juratio, utpote ex qua sæpe contingit perjurium, una cum aliis delictis, juxta illud *Ecclesiastici, xxiii. 12. jam allegatum: Vir multum jurans, replebitur iniquitate.*

30. *Juramentum est a malo: et quomodo?* — Neque ulterius urgent illa verba Salvatoris immediate subjuncta: *Quod autem his abundantius est, a malo est.* Nam Salvator non dixit, *malum*; sed dixit: *a malo*. Quia, quod amplius est, id quidem a malo est, videlicet ab incredulitate audientium (nam si isti crederent, opus non foret pluribus verbis, multo minus juramento) non tamen est malum, si debite fiat. Quinimo, licet juramentum sit a malo, juxta allegata verba Salvatoris, nihilominus est a malo, non tam culpæ, quam pœnæ; nec exhibentium, sed exigentium juramentum: nam horum incredulitas magis est pœna quam culpa. ut inquit pontifex in cit. c. *Etsi Christus*, h. t. Siquidem in statu naturæ læsæ, et exercente hominum malitia, simplici assertioni, vel negationi, vix creditur: imo locum habet illud *Ecclesiastici, xix. 4. Qui cito credit, levis est corde.*

31. *Jacob, v. 12, non prohibetur juramentum simpliciter, sed voluntas jurandi incaute, et sine causa.* — Urgebis. In Epistola canonica S. Jacobi apostoli, v. 12, dicitur: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, etc.* ergo nunquam licitum est juramentum, ponderando ly, *ante omnia nolite*. Resp. negand. consequent. Quia, uti declarat ly, *Nolite*, atque interpretatur Pontifex in cit. c. *Etsi Christus*. §. *Jacobus*. h. t. hisce verbis non simpliciter prohibetur juramentum, sed voluntas jurandi, videlicet incaute, et sine legitima causa. Siquidem ad juramentum non debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahere importuna: et tunc potest quis sine culpa jurare id, quod cæteroquin est justum, ac verum.

## § II.

### DE INTERPRETATIONE JURAMENTI ET CONDITIONIBUS EIDEM TACITE INEXISTENTIBUS.

32. *Juramentum est stricti juris, stricteque interpretandum.* — Queritur I. Quomodo juramentum sit interpretandum. Resp. I. Juramentum est stricti juris, stricteque interpretandum propter periculum animarum, atque ad evitandum perjurium. Ita Abbas c. *Clericus*. n. 2. h. t.; Suarez l. II. de *Jurament.* cap. xxxii. n. 7; Pirhing h. t. n. 102. cum

communi. Idque desumitur ex c. *Cum clerici*. 19. de *Verb. signif.* ubi juramentum a quopiam editum, stricte per Papam interpretatur. Accedit ratio, quia ubi de inducenda obligatione agitur, stricta debet fieri interpretatio, juxta c. *Odia restringi*. 15. de *Reg. jur.* in 6. cum similibus. Unde si quædam reperiatur obscuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum, l. *Quidquid astringendæ*. ff. de *Verb. obligat.* ibi: «*Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimat ommissum esse, intelligendum est: aut certe secundum promissorem interpretandum.*»

33. *In foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis. Etsi de hac non constet, interpretatur stricte.* — Atque istud vel maxime procedit pro foro externo: nam in foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis, juxta illud I *Regum xvi. 7. Homo videt ea quæ parent. Dominus autem intuetur cor.* Unde D. Gregorius, relatus can. *Humanæ aures*. 22. q. 5. sic loquitur: «*Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intus proferuntur.*» Quod si tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ, ac pœnitentia, juramentum stricte est interpretandum, ob di ta n. præced.

34. *Solvitur instantia. Favor juramenti, et reverentia ipsi debita, in quo consistat?* — Neque obstat favor juramenti, atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipsi debita, principaliter consistit in eo, quod sit verum, justum atque rationale; sicque habet tres comites suos, veritatem nimirum, judicium atque justitiam, juxta *Jerem. iv. 2.* Non autem, ut ad plura extendatur, atque in dubio ampliatur: quinimo, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eo facilius observabitur, magisque evitabitur ipsius violatio, seu perjurium.

35. *Juramentum præstitum circa materiam juris, interpretatur secundum dispositionem juris communis. Idque varie exemplificatur. Non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest episcopus novam Ecclesiam ædificare si populus ea indigeat.* — Resp. II. Quando juramentum est præstitum circa materiam juris (hoc est circa illa, de quibus jus ipsum quid

disponit) tunc illud est interpretandum secundum dispositionem juris communis, neque ultra extendendum. Ita Glossa in cap. i. §. *Declaramus*. h. t. n. 6; Innocentius c. *Per tuas litteras*. circa med. de *Arbitriis*, Abbas c. *Tua nos*. n. 4. de *Eccles. ædificand.*; Layman lib. IV. *Theolog. moral.* trac. III, cap. ix, n. 2; Pirhing h. t. n. 107. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Tua nos*. 6. *Eccles. ædificand.* ubi non obstante juramento de rebus ecclesiæ non alienandis, potest episcopus novam ecclesiam ædificare, si populus ea indigeat: quia hoc ipsum est de jure communi, c. *Ad audientiam*. 3. eod. sicque juramentum illud episcopi est interpretandum juxta jus commune, ac proinde casus iste in juramento illo censetur tacite exceptus.

36. *Jurans in omni causa servare ordinem judicarium, non tenetur hunc servare in notariis. Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest ut non obviet juri.* — Concordat c. *Ad nostram*. 21. h. t. ubi jurans, quod in omni causa debeat observare ordinem judicarium, non tenetur vi juramenti ipsum servare in manifestis ac notoriis: siquidem spectato jure communi manifesta accusatione non indigeat, can. *Manifesta*. 2. q. 1. etc. *Evidentia. de Accusatione*. ac proinde etiam illud juramentum, utpote interpretandum secundum jus commune, casum hunc de manifestis non comprehendit. Accedit ratio ibidem allata: quia sic jurans «non habebat in mente, ut propterea veniret contra canonicas sanctiones: alioquin non juramentum, sed perjurium potius exitisset: nec esset aliqua ratione servandum.» Hæc pontifex pro interpretatione dicti juramenti. Ubi proinde Summarium ex Abbate desumptum, sic loquitur: «*Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obviet juri; alias tanquam temerarium non obligat contra juris observantiam.*»

37. *Qui jurato promisit judicio sisti, potest, ex concessa causa, illud deserere.* — Huc etiam facit textus in l. ult. ff. *Qui satisfacere cogantur*, ibi: «*Qui jurato promisit judicio sisti, non videtur pejerasse, si ex concessa causa hoc deseruerit.*» Atque ratio horum generalis est: quia in quolibet juramento promissorio tacite subintelligitur, atque ipso jure inest conditio illa, «*Salvo jure, et auctoritate superioris*» (puta, supremi legislatoris), c. *Venientes*. 19. h. t. atque amplius n. 53. dicitur. Unde consequens est, quod juramentum conformiter menti legislatoris, per jus commune mani-